



Inhalt der Abhandlung.

- I. Aussage, das Wesen der Rede. Rudimente derselben: demonstratives Pro-Nomen und mimetische Aussprache eines Merkmals. Einheitliche Verbindung beider in der Prädication.
- II. Gewinnung des stabilen Nomen. Pronominal- und Prädicativ-Wurzeln. Verwendung des Prädicativs als Subst., Adj. und Verb. fin.; als Beigelegtes und als Beilegung.
- III. Primäres Subject und Object (Ich und Nicht-Ich). Subjectivirung des Object's.
- IV. Natürliches Rangverhältniß der Objecte und dessen Gegenbild in der Sprache. Vorhandensein und Mangel einer Nominativform. Ränge: personbildender und dinglicher.
- V. Vergleichung dieses Gegensatzes mit dem geschlechtlichen Gegenätze. Gegenständliche Auffassung, ausgedrückt zunächst in der Accusativform, ferner in den übrigen Casibus obliquis.
- VI. Allgemeine Bedeutung des Accusativs; Uebereinstimmung der Acc.-Form mit der dinglichen (neutralen) Form. Vergleichung des Acc. mit den übrigen Casus und seine Bestimmung als Grundform der Nomina.
- VII. Gebrauch des A.: 1) als Ausdruck einer nothwendigen, 2) einer zufälligen Ergänzung einer Aussage; 3) als Vertreter bestimmterer Casus obl.; 4) bei Präpositionen.
- VIII. Absoluter Gebrauch des A.: 1) in Adverbialien, 2) als Vertreter von Nebensätzen; 3) in Ausrufungen; 4) in Begriffsnennungen außer dem Satz-Zusammenhange.
- IX. Der Acc. c. Infinit.; objective und subjective Aussage-Handlung.
- X. Schicksal der Accusativform in den romanischen Töchter-sprachen; Acc. als Nom.; Aufgehen des nominalen Rang-Gegensatzes in dem Geschlechts-Gegensatz.

C. Julium Caesarem memoriae traditum est inter illam belli Gallici occupationem librum grammaticum de Analogia conscripsisse. Quod ille decus literarum bellicae addidit laudi, id ne nostra quidem aetas (si licet univ-ersum nomen cum uno homine conferre) singulari sua industria velle alienum esse videtur; quippe quae tot rebus et gerendis et gestis distracta in indagandam linguarum analogiam repetendaque orationis humanae primordia multam et frugiferam operam contulerit. Difficilis sane illa quidem de origine verborum quaestio, nec quam ex unius conformatione linguae subtilive etiam philosophandi ratione plane persolvas. Sunt tamen veritatis nonnulla quasi vestigia, quibus ad prima elementa etsi non penetrari penitus, at proprius accedi haud frustrato labore possit, quae linguarum inter se comparatione deteguntur. Hac enim arte nuper doctissimi hujus aetatis viri disjecta membra vocabulorum relegere et priscam Ariarum gentium loquelae imaginem restituere coeperunt. At vero quum non modo in corporibus, ut ita dicam, cura sit adhibenda, sed etiam qui iis sit usus quaeque ministeria natura destinata explorare oporteat, tempus videtur ipsarum formarum antiquitus traditarum perquirere vim ac significationem.

Ac mihi quidem et aliarum rerum grammaticarum et Accusativi illas cum Infinitivo difficultates respicienti saepe mirum fuit plerosque grammaticos quum rerum cognoscendarum summam afferant copiam, principia et causas aut leviter tantummodo attingere, aut omnino praeterire silentio. Nimirum vetera ac trita praecepta grammatices angustioribus passim contineri legibus, quam quibus formarum varietas et usus satis definiatur, vix est quem fugiat. Quodsi hoc loco ad explicandam Accusativi vim atque indolem quid conferre possim experiar, liberiore meo judicio recentiorum potissimum sequar disciplinam. In eo unum maxime vereor, ne ad ea quae propter naturam suam a communi latine dicendi usu longius discedunt, verborum mihi copia non suppetat, nimiumque venia aurium sit roganda.

I.

Primum hoc praecipendum est, omnem sermonem existere **praedicatione**, qua is qui de re quapiam loquitur quomodo ea se habeat aut velit eam se habere enunciat. Fuisse quidem olim tempus opinor quo homo, verborum inops ac rudis, ut alterius animum ad id quod sensibus suis offerretur converteret, manu id ostentaret, addito, quo magis animi attentionem provocaret, simplicis alicujus exclamationis indicio.¹⁾ Verum haec exclamatio, quippe quae per se nihil haberet aut perspicui aut proprii, quia de quibuslibet rebus adhiberi poterat, nihil nisi **pro-nomen** quoddam erat. Itaque quasi objiciebatur res sensui, non declarabatur. Jam vero sententia de rebus disertius ut exprimeretur, modum aliquem ac speciem singularem, qua apparerent, opus erat voce significari atque quasi reddi.²⁾ Quod si quis miratur quonam modo fieri potuerit, respiciat velim quam multa quae auribus percipiuntur facili vocis imitatione queant repraesentari; quid? quod ea etiam quae sub oculorum aspectum cadunt vel alioqui sentiuntur, per soni quandam similitudinem etsi non describi, at significari aliquomodo posse videntur. Quam quidem naturalem vim ac significationem in multis nostris vocabulis non usquequaque reservatam nec manifestam esse nihil mirum est, quum primae imagines, velut nummorum signa diuturno usu detritorum, tempore magis magisque evanuerint.

Itaque quum rerum species sono aliquo vocis idoneo appellaretur, dictum jam vel praedicatum quamvis tenue erat datum, quod rudimentum aliquod orationis diceret; in quo ad indicandam sententiae unitatem pronomen illud rei demonstrandae cum specie attributa arcissimo accentus vinculo conjungebatur, velut in verbo Indico *tuda-ti*, quod est quasi *tundere-id* (tundit), vel in latino *i-t* (hoc est = *i-id*), in quo conjuncta erat rei alicui demonstratae species accidens eundi.

II.

Protinus a specie praedicata deductum est **nomen substantiae**, ejus dico rei cui inhaerentem videbant speciem. Sic ei substantiae, de qua, quum inesset species lucendi, enunciatum erat verbum *luce-t*³⁾, nomen ipsi

¹⁾ Exempli c. a. i. **ta**, et quae praeterea habentur pronominum radices, de quibus cf. Bopp. Gramm. comp.

²⁾ Cf. G. Curtii libri 'Grundzüge der gr. Etymol.' Prooem. p. 76. Nec Platonem illud fugit, ut ostendit Cratylus.

³⁾ Vel potius 'lucti', nam interposita e secundariae est formationis.

inditum est *luc* (lux) ¹⁾. Itaque pronomen illud simpliciter demonstrativum, quo varietas rerum nulla discerneretur, accedente nomine substantivo distincte declarabatur, quo facto perfectior jam pergere oratio poterat ad sententias novas, nova rei *ἐπιθετα* addendo.

Quo rectius doctissimi illi viri iudicare mihi videntur qui ex *pronominalibus* et *praedicativis* radicibus orationis origines ducendas esse censent. ²⁾ Hae enim nominum materiam praeberunt; illae rationum quodammodo ac modorum conformandorum fuerunt. Nomina autem et substantiva et verbalia dico; in quibus quum utrisque praedicationis vis insit communiter, id solum interest, quod in sermone Substantivum pro re jam pridem praedicata habemus, Verbo finito nunc demum praedicamus. Etenim ipsum Verbum, nisi finitum erit, i. e. cum suffixo pronominali (personali) coaluerit, necesse est manere substantivum (aut etiam adjectivum), sicut apparet in Infinitivo. ³⁾ Et quoniam Substantivum ita effectum esse diximus, ut speciei alicujus sensu perceptae nota substantia ipsa significaretur, perspicuum est omnia Substantiva non tam res ipsas reddere, quam notas esse adjectas, immo etiam 'adjectiva' quae dicuntur nomina. In quorum quidem: numero quae tanquam fixa atque stabilita substantiarum nomina invaluere, Substantiva: reliqua, mobilius generis, Adjectiva nuncupamus. Quanquam haud raro loquendi usu haec vocabulorum genera confunduntur atque uno ordine habentur.

III.

Omnia autem quae sunt (quae *entia* dicere liceat auctore Quintiliano ⁴⁾) suo jure pro **objectis** habentur, siquidem loquenti cuique cogitative objecta substrataque esse videntur. Ut enim *Subjectum* quod philosophi dicunt quisquis Ego sum a quo quaeque sentiuntur, animadvertuntur, agnoscuntur, cuius mente, velut speculo, vel e medio quodam loco et umbilico universi mundi, omnia spectantur iudicanturque: ita haud perperam illa omnia, quae

¹⁾ Becker, Organism, p. 231: „das Subst., z. B. Wind, drückt selbst schon ein prädicirtes (Wehen) aus und setzt also den Satz schon voraus; das Pronomen hingegen hat sich wahrscheinlich (?) erst aus der Endung entwickelt.“ Illud quidem recte, hoc falso.

²⁾ Praeter Boppium cf. Max. Müller, Vorlesungen über die Wiss. der Spr. p. 224 sqq., ubi quam luculentissime haec res exponitur.

³⁾ Infinitivos Graecos et Latinos esse nomina subst. et occultam formam Dativam servare docet Leo Meyer (Infin. der homer. Spr., et, Vergl. Gramm. p. 120, et, Vergl. der lat. und griech. Decl. p. 44.

⁴⁾ Quintil. Inst. 8, 3, 38.

sunt, *Objecta* vulgo appellare solemus (nam et nostrates hoc latino vocabulo utuntur, et est eadem ratio Germanicae vocis „*gegenstände*“.) Atque haec ad sensum proxima est rerum condicio principalisque omnium entium, sive animantium sive inanimorum, ratio, qua, priusquam mentis iudicio quidquam cogamur iis attribuere, objectum nobis esse aliquid sentimus.¹⁾ Et hanc rationem haud levis esse momenti nec remotam a re proposita mox ostendetur.

At non modo sentiuntur res, nec velut inertia pondera substrata sunt obtutui, sed efficacia quoque in ipsis aliqua et agendi vis cernitur, neque hercle per Subjectum cogitans existunt, verum per se seu magis seu minus ipsae. Sane haec alia et vera Objectorum cum Subjecto cogitanti ratio intercedit, quae quidem ita ab illo agnoscitur atque enunciatione (*satz*²⁾) exprimitur, ut, quam condicionem sive actionem a se ipso non pendentem in Objectum eadentem videat, hanc eloquendo ei attribuat. Quod quum facit, rem objectam ut principium et causam agendi praedicat, alterum praeter semet ipsum Subjectum ponit atque agnoscit, ergo sibimet ut ita dicam *coordinat*.²⁾

IV.

Quod autem diximus, si per praedicationem Objectum quodpiam, de quo quis loquatur, in Subjecti locum extollatur, dignitatem loquenti Subjecto consimilem illi vindicari: in hoc personalis quaedam proprietate cernitur, quae tamen non omnibus aequaliter substantiis potest obtingere. Aptior est enim hominibus quam ceteris animalibus, his autem aptior quam inanimis et segnibus rebus. Ad inanimarum rerum speciem illud nominum genus est formatum, quod Neutrum grammatici vocant. Sunt igitur duo omnino entium **ordines** (*gradus, rangstufen*), prout quaeque aut aptiora videntur quae personali illa vel spontanea fungantur proprietate, aut parum videntur. Huic duplici rationi consimilis erit divisio formarum nominalium; id quod apparet in Nominativo qui dicitur casu. Nam sicubi in obliquitate sunt nec Subjecti partibus funguntur, fieri nullo modo potest ut activa et spontanea species appareat, et omnia nomina utique uno ordine tum habentur. Si vero Nominativum respicimus, duorum ordinum elucet diversitas: quorum alter forma ipsa Nominativa distinctus est, orbus alter. Erat enim hoc ingeniosae antiquissimorum Ariorum loquelae proprium, ut illa nomina, in quibus potiore quamdam dignitatem intuerentur, ubi ea in Subjecti haberent loco, non sine ullo

¹⁾ Unde perspicuum est quam convenienter ‚das ist ein baum‘, ‚dies ist ein soldat‘ Germanice dicatur. Nimirum proxime haec pro rebus objectis obversari videntur.

²⁾ Cf. Becker. Org. p. 91.

praestantiae insigni, velut inertes vocabulorum truncos, effutienda esse arbitrantur. Inde Nominativum illud -S Subjecti nomini eos suffixisse opinor, quo vim agendi sponte tanquam personalem exprimerent.¹⁾

Hic ordo igitur **personalis** vel **activus** videtur posse appellari, quo comprehenduntur masculinus sexus et femininus. Alter est **realis** (si ductum a rei nomine nomen adhibere audeam) et quasi **passivus**, qui quoniam sexus nullam prae se fert speciem, genus dicitur Neutrum. Adeo autem id genus substantiae omni exutae videbantur vi agendi et existendi per se ipsae, tam non idoneae quibus personale quidpiam tribueretur, tam pro Objectis habebantur nihilque nisi res patibiles ac parum efficaces, ut quanquam a Subjecti loco non plane removerentur, tamen neque illud - S suffixum neque aliud Nominativum signum receperint.²⁾

V.

Apparet igitur illo superioris ordinis principatu aestheticam quandam (ut dicere solent) *προσωποποιίαν* effictam esse; cui quidem novum aliquod lumen allatum est exculpta paulatim binorum sexuum varietate.³⁾ Nam errare mihi videntur qui hanc naturalis sexus imitationem putant principalem fuisse, primaeque Ariorum linguae propriam. Vix dubie enim docti viri demonstrarunt: nec varias obliquorum casuum terminationes sexualem differentiam per se exhibuisse; nec Nominativum S in masculina tantum pertinere; illam autem vocalis thematicae peculiarem speciem, quae est in femininis (*σοφία, ἀρετή, vita*), etiam in masculina passim cadere (velut in *πολίτης, ἀδvena*).⁴⁾ Ex quibus colligitur nota Nominativa priscos Arios non tam sexum voluisse significare alterutrum quam speciem agentis personalem (*προσωποποιίαν*).⁵⁾

Verum omne ens, sive res sive persona, nisi si Subjecti munere fungitur, semper pro Objecto est cogitanti cuique vel loquenti, atque in segnitie quo-

¹⁾ Haec litera et in mascul. et fem. cadit: *bona-s, duc-s, urb-s, ὄβελ-ς* ... Quibus causis phoneticis ea in multis nominibus (*ager, dexter, nauta, vita, leo* ...) detrita aut quomodo compensata sit longum est; vid. L. Meyer. *Vergl. der lat. und gr. Decl.*; Bopp. *Vergl. Gramm.*

²⁾ Bene Curtius: „Die hist. Gramm. und die Syntax“ (*Kuhn's Zeitsch. für vergl. Spr.* I. 265.); ubi neutralia nomina pro sua natura a Subjecti dignitate ait abhorrere, unde S Nominativo careant.

³⁾ De qua Steinthal („Die genera des Nomen“ *Kuhn's und Schleicher's Beitr. zur vergl. Spr.* I. 229): „eine ästhetische Umkleidung, eine plastische Gestaltung der Vorstellungen; so dass sie wie lebendige, geschlechtlich individualisirte Wesen erscheinen.“

⁴⁾ Accuratius haec explicavit Schleicher. *Beitr.* III. p. 2. Cf. etiam Grimm, *Gr.* III. c. b.

⁵⁾ Becker *Org.* p. 91: „Der Gegensatz von Person und Sache ist in der Sprache offenbar älter als die Unterscheidung der Geschlechter; die Untersch. der Geschl. setzt den Gegensatz von Person und Sache schon voraus.“

dammodo quietaque cessatione residere videtur. Hinc fit ut Accusativus casus, qui est simplicis casus Objecti, ordini reali (neutrali) conformem habeat terminationem, ut mox ostendemus. Sunt autem plures Objecti casus: unus Accusativus qui dicitur, quo simpliciter ac generaliter Objecti status indicatur: ceteri ad speciales quosdam connexus logicos pertinent.¹⁾ Verum de his alias; nunc de Accusativo quid videatur dicendum erit.

VI.

Indolem et rationem **Accusativi** equidem semper existimavi in libris grammaticis nimis angustis circumscribi finibus, nec tam universe quam per partes rem explicari. Plerique enim sic statuunt, Accusativum esse casum Objecti proximi cujusque et patibilis, et significare rem actioni cuiusdam transitivae obnoxiam. Sunt etiam qui finem quo quid tendat indicare censeant (sicut in aliis quoque casibus loci quaedam suspicantur indicia). Ego cum varios inter se usus et Latinorum et Graecorum, tum formae atque exitus speciem comparando eo adductus sum, ut formam quandam generalem ac simplicem nominum ceterorumque (excepto Vocativo) casuum fundamentum, imo illud ipsum *archetypon* vocum, quo propria illa Objectorum natura designaretur, in Accusativo reperirem.²⁾ Nihil enim meo quidem iudicio Accusativus indicat buam id ipsum quod cogitanti loquentive est objectum, exemptis aliis quibuslibet rationibus quae per praepositiones possint demonstrari. Quum vero etiam personae et quaecunque res a loquenti in Subjecti loco substitui possunt, ubi Accusativo casu ponuntur, omni efficacia personali privatae ac residues habeantur, apparet hunc statum cum illo ordine quem realem vel passivum supra dixi aptissime congruere. Neque enim fortuito accidere puto ut forma Accusativa (masc. gen.) ‚*bonum*‘ cum signo neutrali („*bonum*“) plane congruat. Nimirum quum Neutrum semper, quae est natura ejus, per se sit inefficax atque imbecillum remotumque a personali dignitate, propriam Nominativam formam exclusit, quae uni ordini contigit personali: qui quidem ipse, quoties non in Subjecti loco constitutus est, in inferiorem statum relabitur et eodem quo neutralia fungitur munere quasi impersonali.³⁾

¹⁾ Vocativo nihil est commune cum Objecti casibus; nam absolute et tanquam pro Interjectione enunciato interponitur.

²⁾ Hic si quis occurrit non in Acc. sed in ipso nominis themate (e. g. EQVIT, MANU) simplicem generalemque reperiri nominum formam, meminerit inanes has esse grammaticae subtilitatis species et quasi cadavera verborum, quorum nescia est viva oratio; nisi quod in compositis adhibentur.

³⁾ De neutrali terminatione cum forma Acc. congruente alio loco agendum est accura-

Principalem autem et tanquam naturalem eo dixerim formam Accusativam, quod primum et proximum (ut ostendi) rerum conspectum indicat, quo superioris alicujus sensui et actioni objectae substrataeque esse videntur¹⁾; et convenientissime apparet fieri ut sub hac forma integra simplicique usque persistent, dum non aut in Subjecti locum extollantur, aut connexibus quibusdam certis cogitationis implicentur qui additis praepositionibus vel suffixis sint declarandi.²⁾ Est vero hoc commune cum Nominativo munus Accusativi ut res ipsas tantum, non connexus rerum indicet (quod fit Dativo, Gen., Abl., Loc.) Neque tolerationem, ut falso perhibent, per se proprie, sed quietem potius et cessationem rerum significat; et eo tantummodo cedit Nominativo, quod ostendit ex alio Subjecti loco rem spectari tractarique. Itaque fere fit, si Subjectum loco moveas, ut Accusativo Subjecti vices obtingant (id quod mutata per Passivum structura usu venit).

VII.

Jam restat ut quae dicta sunt usu loquendi et exemplis explicentur.

1. Primum de eo Acc. qui transitivis verbis subjungitur. De plerisque enim actionibus duo adhiberi nomina necesse est: unum agentis, alterum ejus quod agitur. Hic quod agitur pro re est, quoniam, licet personale ens sit agendique compos, hac tamen occasione cessat atque in quieto realique statu residere videtur. Exempla: *miles ferit hostem; terra gignit herbas.*

2. Sunt quaedam actiones quibus quum unum agentis tantum nomen quaeratur, tamen cogitatio alicujus quod agatur facile queat adhiberi; unde in usum venit ut liberiore ratione Acc. apponeretur. Sicut Latini loquuntur *ibimus — Romam — Athenas*; et Homerus: *ὄψανδὸν ἴξεν.*³⁾ Hic cave

tius. Sunt tres in antiquis Arian generis linguis nominum neutralium formae: I) quae in nudo themate nominali constant: haec igitur non hujus loci sunt. II) quae litera M terminantur: eadem terminatio (ut jam supra dixi) est Accusativi. III) quae in lit. D (Gothice T) exeunt, cujus generis sunt: id, illud, quod, aliud, cet. Sanscritane: ta d, ya d, any ad, cet.; Graece omissa euphoniae gratia litera D: τό, ἄλλο, ἐκείνο, cet. Cum his vero conferendi videntur Enniani quidam Accusativi: te d, (Trag. 203,) me d (p. 167) pro te, me. Praeterea nonnihil est cur Graecos Accusativum in - a potius literae D quam M detrimento formasse arbitret. Sed hoc longum est.

¹⁾ Respice quae cap. III. dicta sunt.

²⁾ Cujusmodi connexus sunt: cohaerentia vel junctio, ortus, causa, instrumentum, loci rationes, Accusativi ratio praepositionibus nusquam aut indiget aut describitur.

³⁾ Notum est hunc usum in oppidorum fere vocabulis contineri. Omnino quae relationes parum per se planae sunt, ne error interveniat, aliis casibus obl. declarantur.

in quaestionem quo? Accusativum postules. Nam ne sedendi quidem et cubandi verbis Acc. apud Graecos deest: cf. Eurip. Or. 943 ὁ Πέθιος τρίποδα καθίζων, et Soph. Phil. 145

ἴσως γὰρ τόπον ἐσχατιαῖς
προσιδεῖν ἐθέλεις ὄντινα κείται.

Quid quod etiam Latini illud *horreo mortem, arma virumque cano* dicere audent.

Quum quis dicit ἤλθομεν, mente jam ipsam comprehendit cogitatum rem ὁδόν τινα, ita ut commode possit adicere ἐκείνην, κοινήν. Item quum dicit κάμνει τις, quia subintellegit νόσον vel simile quid, recte adjungit νόσον κακίστην. Nec durius videtur dictum, quum in sententia κάμνω τὴν κεφαλήν rem aliquam vel partem subdit τῷ κάμνειν.

3. Graeco huic generi Acc. haud absimiles Latinae sunt locutiones *fossa decem pedes lata, puer tres annos natus*. Neque illud in tanta applicationis facilitate quidquam habet admirationis quod permultae voculae latius patentes, quamvis alius casus poscatur exactiori ratione, per Acc. subjunguntur. Sic dicitur *id studeo, illud operam do, cum esset id aetatis, unum laetor, aliud te admoneo*. — Ceterum his quoque exemplis probatur, quod supra dixi, esse Acc. quasi integram nominum formam ceterorumque casuum fundamentum, in quo nondum expressa sint distinctiora illorum discrimina.

4. Praepositiones quoad per se certos quosdam indicant connexus logicos, nihil ad mutandam simplicem nominis formam, quae est in Acc., valere posse videntur. Hanc utique consuetudinem multae sequuntur linguae, praesertim Romanicae quae vocantur. Veruntamen in Graecorum Latinorumque sermone partim vis Praepositionum parum sibi constans, partim peculiaris aliquarum cum aliis casibus affinitas variae structurae erat causa.

VIII.

Denique de tribus collocandi Acc. modis agendum est, primum de absoluto quodam usu, deinde de Accusativi cum Infinitive structura, postremo de suscipiente vicem Subjecti Accusativo.

Absolutius collocantur cum forma Acc.: 1) permulta orationis additamenta adverbialia, velut *primum, ceterum, τό λοιπόν, ἀρχήν, τέλος; partim, cur-*

*sim, contemptim*¹⁾, βάδην, ζούβδην, ἀμφαδίην,²⁾ nec non δίκην, χάριν, προΐκα, τίνα τρόπον³⁾).

2) Item nonnullae formulae, quibus *secundaria aliqua sententia* contrahitur: ἐξόν, δόξαν, τὸ λεγόμενον, πρόφασιν μὲν, — etc. Similiter Homerus toti sententiae Accusativam addit appositionem II, 24, 735:

ἢ τις Ἀχαιοῶν (σε)

ἕψει ἀπὸ πύργου, λυγρὸν ὄλεθρον.

et Eurip. El. 231

εὐδαιμονίης, μισθὸν ἰδίστον λόγον.⁴⁾

3) Item exclamationes: *me miserum! hanc audaciam!* Vocativo modo utitur Soph. Ant. 441

σὲ δὴ, σὲ τὴν νεύουσαν ἐς πέδον χάρα,

φῆς ἢ καταρνῆ . .

Similis allocutio cfr. Eurip. Hel. 546.

4) Neque ille mos hoc loco omittendus est, ut quae nomina exempta e contextu orationis inducamus, ea per Acc. notam appellemus, e. g. *inertem esse; amatum, am, um esse; regem creari.*

His omnibus quae memoravi amplius etiam probatur quam recte Acc. natura atque indoles descripta sit, quo nulla exhiberetur singularis notionum implicatio, nihilque esset nisi generalis forma nominum nondum in statum agendi vel existendi per se ipsa admissorum, ita ut recte ‚nominativus’ appellari potuisse videatur.

IX.

Accusativi cum Infinitivo rationem ut explicem (quod faciam breviter, ut cetera), ad ea quae de natura praedicationis proposita sunt liceat redire. Diximus enim supra praedicationem, quae dicentis cujusque est actio, semper in Verbo finito existere. Quum enim nomen rem jam pridem nominatam praedicatamque praebet, in Verbo fin. apparet ipsam nunc maxime praedicandi actionem, atque omnem semper nominationem existere. Qua quidem actione loquentem ita docuimus perfungi ut, sublato ex enuncianda re Subjecto intelligente, ipsum Objectum in Subjecti locum substituatur. Hic ergo

¹⁾ et ²⁾ Extare in his vocabulis Accusativam flexionem docet Leo Meyer ‚Vergl. Gramm.’ II. p. 389 sqq.

³⁾ Cf. Krügeri Gramm. Gr. § 46; sed neque hic neque alii his locis satis probari possunt. Ceterum his Accusativis comparari posse videtur nostrum illud ‚Berlin den 3. Juli.“

⁴⁾ Omnes has locutiones patet sententiarum secundariarum locum (nebensätze) habere, quae unius verbi brevitate significantur.

est communis atque objectivus (quem dicas) praedicationis modus, quo sententia, per se stans omnique loquentis quasi regimine soluta, majorem habere veritatis fidem videatur.

Est vero etiam alter modus, quem subjectivum dixerim. Ut enim sententiam aliquam, exempli causa quam quis de sole habeat oriente, eam hic velit eloqui: illo quidem objectivo modo plane *Sol oritur* dicet; at poterit etiam ipsum illud sentire vel eloqui enunciare, hoc fere modo: *Video (dico — intelligis — patet) solem oriri*. In quo enunciato quum inter *solem* et *oriendi* verbum nulla intercedat copula, per Subjectum primum recipitur sententiae unitas. Ita vero fit ut *sol* quoniam non ipse Subjecti obtinet locum dignitatemque personalem, neque congruit cum Verbo fin., in inferiori et reali statu (Accus.) permaneat, in quo illud *solem oriri* nullam jam exhibet praedicationem, verum nihil est quam nomen vel notio, verborumque quaedam realis comprehensio.¹⁾ Prorsus in tali nominis cum Verbo infinito complexu, utpote qui praedicatam rem contineat, praedicationem vero non contineat, Nominativo locus non est (nisi forte attractione quadam usu venit), ut recte dicatur *Victorem Olympiae citari* (in laudibus erat; at: *victor citatus esse Hiero dicitur*). Ad haec quae cap. VIII. 4. proposui conferenda sunt.

X.

Jam vero comparanti mihi recentiorum linguarum nomina singularis quidam occurrit usus illarum dialectorum quae vocantur **Romanicae**. In quarum quidem numero omissa Francogallica, cujus sunt tenuiores vocabulorum exitus aut paene nulli, Italarum potissimum linguam respiciamus. Ejus enim nomina varia si quis discit, velut *popolo, madre, figlia, origine, amore, Cesare, Giove, metropoli*, facile adducitur ut nescio quo pacto Ablativae latini fontis formae abusus in iis extitisse putet. In hoc quantus sit error ex prisca literarum monumentis intelligitur. Constat enim et jam antiquitus Accusativas formas per sermonem vulgarem haud raro usu ferri solitas esse pro Nominativis, et hunc usum ad posterum aevum latius permanasse itaque factum esse ut Romanenses, litera - M per *εὐγορία* quandam abjecta, talia instar Ablativorum nomina effinierint. Sunt etiam Neutrius generis formae argumento. Nam si ex Ablativo ductae essent, non sane talia, ut *corpo, lato*,

¹⁾ Cf. Richter. progr. Quedlinb. (1847) p. 33; qui tamen non plane Acc. rationem mihi videtur enucleasse.

fume, capo, cuore, problema, qualia nunc habemus in oratione Dantis et Boccaccii, extitissent, sed ‚corpore, latere, fumine, capite, corde, problemate’ debuisse dici videtur.¹⁾

Quod ostendi idem in Hispanorum et Lusitanorum linguis usu venit, nec solum in Sing. numero sed etiam in Plurali, cujus tales sunt formae: *cartas, libros, Las Casas, lobos*, multaeque hujus generis.

Quodsi quaeras quonam pacto acciderit ut Accusativi illis gentibus essent fundamenta reparandorum nominum, hanc reperies causam, quod inveteratam sermonis vulgaris incuriam secutae, marcescente casuum varietate, pristina ordinum nominalium discrimina servare dedidicerunt, adeo ut omnia nomina in communem illam et propriam Objectorum formam relabi et quasi obtorpescere necesse fuerit. Inde ipso neutrali genere, quo antea realium nominum ordo continebatur, cum ceterorum nominum copia confuso, omnia sub bipertitam sexuum conformationem redacta sunt.²⁾ Verum ne inopia Nominativi laboraret oratio, bene atque commode in illarum gentium locutione institutum erat ut, nullo jam Objecti et Subjecti discrimine formali, quod nomen pro Subjecto esse vellent id primo sententiae loco ponerent, quippe quo origo quaedam ac principium facti cujusque praenotaretur.

Ceterum ad illustrandam illarum rerum naturam nonnulla ex Germanicis quoque dialectis exempla afferre possem³⁾, nisi haec de Pelasgae originis Romanaeque linguis otii et libelli modum viderentur exhaustisse.

¹⁾ De his rebus conferendi sunt Diezii de ling. Roman. liber (II p. 9 sqq. et D^{ris} Blanc Gramm. Ital., p. 133. sq.).

²⁾ Quod idem Semiticarum aliarumque linguarum proprium esse notum est. Contra Angli, sexualis vocabulorum varietatis negligentissimi, miro quodam modo personalia objecta et realia dignoscere solent.

Ut linguae Danicae et Suecicae articulum. Nec facere possum quin satis memorabilem notissimae mihi inter Luppam et Amisiam regionis usum meminerim; quo pleraque, etsi Nominativus exigitur casus, Accusativa articuli forma designare fere solent (‚den boom’, ‚den hund’, ‚den mann’); at vero Nominativam formam dignitatis auctoritatisque habent (sic enim loquuntur: ‚de pastor’, ‚de borgemester’, ‚de magister’). — Cf. etiam Richter. progr. Quedl. (1847) p. 23. — Denique si cui carpendus videbor quod uberrimos Germanicorum idiomatum fontes neglexerim, finibus hoc exiguis disputatiunculae condonet.

Jam emendanti exemplum typographicum mihi offertur programma Kempense anni 1847., in quo Stolleus vir doctissimus de Acc. agit. Cujus de hac re sententia, sero mihi quidem cognita, laetor quod summis in rebus mecum concordat.

